[Ano]nymus

[...] Martini Fama vocalis purpur[ea]
honore paludata.



AUDITIS MUSÆ CRACIDES!

En ego mœſtarum venio nunc nuntia rerum
Fama, per immenſas aëre lapſa vias.
Ovidius Lib. 4. Pont.

Fama res mâximas vel obumbrantibus pluribus, ſilere neſcit.
Amm. Marcel. Lib. 16.

FAMA VOCALIS,

PURPURATO HONORE PALUDATA;
EX PRÆCELSA GENTILITIA TURRI, LATIALIS SIDERIS,
ORBI LECHÆO,
Immortalia Virtutum & Gratiarum Pretia,
Eminentissimi olim, & Reverendissimi PRINCIPIS,

D. HIERONYMI CASSANATE,

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS,
&c. &c. &c.
In obæratis perpetua gratitudine pectoribus,
Sacri Ordinis Patrum Prædicatorum,
Cracoviæ ad Ædes SS. TRINITATIS;
Inter devota ad DEUM pro PRINCIPE Liberalissimo suspiria, & ejaculatas Cœlo Orationes,
Almæ Vniversitatis Cracoviensis,
Vniversorum Ordinum altò cordoliò,
PER
M. MARTINUM FIDETOWICZ,
In Alma Vniversitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, S. R. M. Secretarium,
Dolentissimo Pòëmate
INSONANS.

Anno Domini 1700. Die 24. Septembris.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

JAMBUS DOLENS,
CANDIDISSIMÆ RELIGIONIS, SACRI ORDINIS PATRUM PRÆDICATORUM PIISSIMIS LACHRYMIS, OBLATUS.

Doloris hæc est magna Vestri portio
Ecclesiæ Gemma DEI *pellucida*
Ordo Sacer, Corona, Nobile ô Decus!
O Candidissima MARIANÆ *Rosa*
O dulce Lilium virens & roscidum?
Ereptus est terris medulla cordium,
PRINCEPS *benignus, justus, illustris, pius,*
Vestræ voluptatis Genus, Plausus Sacer,
Tutela præsens semper Ordinis nova,
Paterq; Liberalis, Tutor omnium,
Mœroris est occasio Vestri grauis!
Everberat pectus Tuum quam maximè
Altus dolor, sinens nec temperareq;
A lachrymis gementium pÿssimis.
Vulnus TIBI *grauissimum ô* ANTONINE
Inflixit ô CLOCHE! *Sacerrimum Decus*
Fulgentis Ordinis! Tibi dulces Rosas,
Cruenta mors ademit atroci manu.
Acerbioribus IVO *cordi ictibus*
Læsit medullas intimas DOMINICE
Amplissimæ Prouinciæ Splendor, Pater
KVLESZA *& aureum simul Germen!* TIBI
O CASIMIRE *Prædicatorum nitor*
Et Gemma NAPOLSKI, *Prior! cûi Nobili*
Honore, virtutum graduq; maximo,
Hic casus extremum dolorem contulit.
Lugetis ô STELLÆ *colorati Poli!*
O Porticus sublimis Cæli gemmea!
Fratrum Sororumq; Ordo dulcis & pie!
Affundit ergo lachrymas vberrimas
MATER *parentans* VNIVERSITAS *mea,*
E TVRRE *præcelsa vocalem Numinis*
Famam recondens in Penetrali sui
Cordis, biuerticis jugi fontes Sacros,
In fletuum soluit fluenta limpida.

FAMA VOCALIS.

MAjestas Latij totum Regina per Orbem,
Prima triumphales Palmas sibi jure capessens,
Explicat æterno Magnorum Nomina cultu,
Sola Virûm Genitrix meritas edocta coronas,
Per vastos nisus & mille pericula rerum,
Fasces, Purpureo radiantes stamine & auro,
Ipsa Togas Sacrasq; docens contendere Laurus,
Vincit ebur fandi; Decori Sibi ducere carmen,
Est opus ingentis Genij, curæq; molestæ:
Gratos obsequij census tamen hæcce coronans,
Provocat in plausus animos & pectora vincit,
Summa triumphorum Sedes, Laus, Orbis Ocellus,
Italis ora, Parens Regum fecunda potentûm
Partibus ostentet cunctis hæc digna trophæa,
Imperij Latiale Caput, dans jura Quirinis,
Pontificum Sedes, veneranda cacumine celso,
Roma beata Sacros tribuens quæ semper honores,
Purpureos cumulando gradus contermina Cœlis:
Innubes oriente dies mox Diva reuolvit.
Hæc occæpta diu laudis cùm Musa volutat,
Protinus excelso sub sidere Fama vocalis,
Aëra per fractos sonitus dat murmure tristi,

Romuleâ festina volans de Turre, Trionem
In Lechicum, reboat nullo discrimine vocis
Classica, sæva nimis contorquens tristia lethi.
Quis novus in Cracio radianti spargitur Orbe
An dolor anve lepor permistus munere grato ?
Seú Helicona suum raptant quæ gaudia justò,
Ingeminata pijs affectibus, aucta triumphis?
Corda patent! Charites querulos concire dolores,
Ecce juvat! spectator ades mirere profundè
Confusas agitando vices; sic ordine Phœbi:
Pars gemitus lacrymas, pars aspera vota ferendo,
Aonides Montem complent singultibus altis,
Confundunt pietate sua dum sponte triumphos:
Extemplò Pallas vocum meditando tumultus,
Ægide subversâ genios mirata frementes
Purpureas mutata genas, pallore molesto,
Hoc ait: ô tristi quid vos mœrore sorores
Exagitat? dignas augusto munere Divûm?
Castalij laticis quæ gemmea pocula mecum,
Dulcè pererrantis roseis contingere labris
Consveviſtis? ait: nunc tristia vultibus atris
Fingitis, & mœsto exornatæ carmina peplo
Concinitis! gelido quid pectore volvitis! eia
Vos fragor insolito percellens ordine miscet?
Verba simul referunt Musarum mœsta Corona:
Purpureus PRINCEPS, Romanæ Gloria Gentis,
Augusta Pericles veniens ê sanguine Magnus,
Indole, Doctrinâ, Pietate beatus, ab imis
Excessit terris, Famâ testante vocali;
Pulchro virtutum vallatus HIERONYMUS orbe,
CASSANATE Craci Parnassum fletibus implet,
Nec sinit in justo confingere gaudia luctu.
Tristia, despiciens conquestûs Pallas inanis,
Alloquitur Charites generoso corde calescens:

Cara

Cara Deûm Soboles, Phœbi solatia cara!
Ecquid Nominibus mirari præpete cursu
Contigisse vias! mortales ire sub vmbras!
Cùm natura suum justò vectigal adoptet.
Hæc cunctos lex summa manet, super Orbe teneri.
Exiguô spatiô; fulgur velut ætheris esse.
Sed meritis laus certa datur, sed præmia justa,
Ire per immensos semper quæ docta triumphos,
Scribit in æternis titulorum Nomina fastis,
Mentes devotas Sacris, super æthera tollit.
Quid mundana juvant? plausus jactare fugaces
Alta Poli temnendo pijs Altaribus vsquam.
Nonne triumphales stant magni Nominis vmbræ?
Æternas meruit bellax virtute Magistra,
Quas animus: summisq; datum complere perennes
Immemori famâ titulos rebusq; gerendis.
Reptauit per scuta Puer: senium non secula vincunt
Illius Cineres, nec mordax tempus abegit.
Hectora, Pompilios, Augustos, marmora sudant,
Mille Ioves alios, & secula mille loquentur;
Quos Consus, quos bella notant Laurusq; togatæ.
Ardua luctati rerum certamina, famæ
Si peperere sibi magnæ, documenta laboris
Dulcia pro meritis solatia, ritè triumphos,
Vendicat hæc virtus monilia digna trophæis.
Pallados hic candor constans ad sidera cessit,
Altus sed mœror, gracili sub pectore flammas
Suspiriumq; movens, illis magè vulnera fixit:
Cessit ebur facie, candens & purpura cessit
Musarum labijs, oculis supereminet ipsis
Triste supercilium, mœstoq; cacumine terras
Numina contingunt deformia vestibus atris.
Virtutum sed turba potens mœrentia corda
Solatur, planctusq; pios in gaudia vertit,

 Cingit

Cingit nam rutilans ſacrum latus ipſa Dialis
Flaminis, in cœlos exporrigit, atq; Coronam:
Hortatur Natam Summi de mente Tonantis,
Confectas mœrore Deas animoſior ipſa
Erigat in ſummas ſpes, & plaudentia vota.
Eſt, infit, ſolenne mihi ſub pectore grato
Cordolium, (ſic Nata DEI Prudentia voce
Inſtitit, Ipſa oculis centum totidem, modeſtis
Cordibus inſignis, crines redimita ſolutos
Gemmis, & niveo multùm ſpecioſa nitore
Colla gerens; Solis radios imitata ſerenos,
Aût Lunæ gratos vultu cùm præſagit ignes;
Mente Deûm ſedes tangens, moderamine terras
Frenans, magna cui ſucceſſûs cura futuri:
Militibus major quantò Dux, remige dextro
Ante ratem ſulcans audaciùs æquora quantò,
Præſtat; tantò alijs virtutibus anteit ipſa)
Purpureo ſic ore DEÆ teneroq; locuta:
Auguſtale mihi gratum populata cruentâ
Trux Lacheſis dextrâ, quô non præſtantius vſquam
Fas reperire fuit, cedit cûi Regia cœli.
Hîc mollem thalamum poſuit ſapientia recti
Conſilijq; boni, quô res moderata futuras
Atq; DEI Templum; DEUS ipſe vt dirigit Orbem,
Spiritus aût corpus, ſummam ſtabilire negotîj
Chriſtiadum ſic Ille fuit ſuper omnia gnarus.
Aſpera bella potens fundebat quando Gradivus,
Et gentem Chriſto quæ ſacris militat armis
Auxilium latura frequens annona premebat,
Et jeiuna fames tentabat frangere vires;
Auſonias gazas pretioſi pondus & auri,
Ingens ſubſidium belli, de Sede ſacrati
Romulei Montis, ſubmittere dulcè ferebat.
Conſilio prudente ſuo nam PONTIFICALIS
Theſau-

Thesaurus, tribuebat opem certamq; salutem.
Austriacas acies, Lechicos, Lithavosq; maniplos,
Atq; manum Venetam, coniuncto fœdere belli,
Cùm Leo Byzantîj Thracicusq; vocaverat atrox
Tigris, & immanes Asiæ centuplicis hydræ
In communem escam; tremuissent dentibus artus,
Et miseræ gentes Europæ flos opulentæ,
Correpto splendore suo croceiq; nitoris
Deposito cultu iacuisset; Roma profusos
Hoc nisi Consultore pios in prælia census
Munificâ dextrâ fudisset milite læto.
Hæc iactare diu, dignaq; extollere laude,
Ambrosijs labijs Prudentia Diva parabat,
Gemmea sed rupit dicta hæc, Sapientia mater,
Compta caput rutilum, celsis radiantior astris;
Sic varijs distincta coloribus, Iride tanquam
Tecta foret, cœlumq; suis produceret armis,
Corpore Virgineo niveum superans ebur, alto
Vertice Phœbeas frondes, victricia serta
Commonstrans, laurum digitis referendo sinistris,
Sidoniumq; ostrum, dextram tamen ipsa gerebat
Tunc liberam, fandi obsequium quæ ritè subire
Posset, & in gemmas redeuntia verba juvare.
Ergo ebur extendit niveæ super æthera dextræ,
Et Phœbum, & Lunam testando cætera & astra,
Sic profata Diis, mortalibus atq; coactis.
Si fama est aliquos mortales vivere demum,
Et post fatales deploratasq; cupressos,
Nominibus magnis æternos ducere soles;
Herculis Orpheiq; memor si gloria regnat,
Et linguas hominum magna dulcedine mulcet,
Vatibus & sacris desunt si oblivia longa,
Seû verè memorant Sapientûm nomina fasti,
Si Mihi sunt tituli certi, si nescia fati

Censeor, hoc magno nunc PRINCIPE sidera tangam,
Et cœli capiam Solium, mirantibus astris:
Ille meas laudes, celsa & præconia linguis
Adscripsit seclis, ævi donavit honore.
Ille DEUM Sedes hominumq; negotia magno
Ingenio penetrans, cunctis (mirabile dictu)
Aût DEUS in terris aliquis novus, aût pia sedis
Æthereæ virtus est visus & omine læto,
Quidquid Cœlipotens Fautor, naturaq; sparsit,
In varias hominum mentes, tenuiq; paratu
Distribuit, totum copioso fonte rigavit,
Hanc animam, Divis sacratum Germen & ingens
Miræ laudis opus; riguo sed fonte potentis.
Doctrinæ latuit tantum decus & pia norma.
Namq; brevis spatium vitæ, tempusq; beatum
Ingenio soli tribuit, pallentia libri
Convolvens folia, & mentem super abdita condens.
Heu! quàm magnifico Princeps Me sponte paratu,
In pectus tenerum traxit, soliumq; paravit;
Congeriem tantam librorum, qui sibi struxit,
Quantam non veteris tenuerunt Pergama Troiæ,
Angulus aût quisquam. Quare dum terra tenebit,
In medio cœli spatio sub sidere sedem,
Alternasq; vices redeuntibus obvia stellis
Suscipiet, dum Sol nigro se littore sursum,
Attollet, faciem sudam mortalibus usq;
Monstrabit; donec refluetq; reciproca Tethys,
Et mixta alternas quærent elementa figuras;
Nomen ab extremis tenebris Sapientia Vindex
Defendam, cellisq; polis inferre parabo.
Sed Dea larga suis insistens prodiga lamnis,
Munificum Numen Pactoli munera fundens;
Cuius habet nunquam varias propensio formas,
Prodiga sed semper superest mens æris & auri;

Expan-

Expansis velox applausu, corpore, palmis,
Effigie lucens in tantùm, ut eburnea si quis
Signa tegat, nitido vel candida lilia vitro.
Numen, Sole novo, croceis & pulchrius astris:
Sed tamē in placidum magè tendens hæc Dea vultū
Inde fuit, tenerum pectus quòd condere nullo
Vestitu cupiit, nudum cutis ast ebur albæ
Fudit in æthereas auras, linguamve resolvit,
Talia dicta ciens: satis est hinc laudis honestæ
Quod retulit sacro Sapientia corde Magistra,
Majores hominum memori, sed mente manebunt
Res, ordoq; sacer gestorum; famaq; certis
Inscribet fastis nomen, monumentaq; largi
Muneris, in Doctos effusi divite vena:
Ille sacros sumptus, me fida Præside fudit
Docta Lycæa super, numerosaq; Millia Librûm
Accumulando, Pios collegit in agmina Mystas,
Qui literis sacris animos coluisse valerent,
Luminis ANGELICI DOCTORIS lampada claram
Mentibus incultis præferrent, omine magni
Ædis sacratæ fructûs lucriq; salutis.
Hispanis, Latiisq; oris, & sidere Gallo,
Sarmaticoq; polô, Belgoq; Angloq; Trione,
Affusæ mentes, admirandusq; Supernæ
Doctrinæ genius, sacras ut panderet artes
Fecit, & immensos tribuit pro divite census
Penso, proq; bona tantorum spe Geniorum.
Hæc quis ritè satis calamus, quæ Musa sacrato
Ore per extremas referet plaudentiùs oras!
Non superest calamo nervus, non Musa coactum,
Atq; melos poterit similes in fingere voces;
Desunt ecce modi tam dulces Vatibus, ista
Munera queîs memori mandarent certiùs ævo.
Me Me sat vivet, sat Me quoq; Principe longa

Secula censebit; Qui, non nigrantibus antris,
Seu tenebris damnavit opes, sed munera nimbo
Sparsit, & innumeras hominum ditare catervas
Suevit; præcipiti dextrâ superabat Iberos
Torrentes, vulgo sæpè aurea munera spargens.
Numen Justitiæ sacrum super æthera vultum
Extulit & placidos rigidosq; vocaverat ausus,
Defuncto interea quæ gessit ritè Magistro
Illa sed haud gracili celebris tenuiq; paratu,
Sed quo digna sinu placido Iovis ipsa maneret,
Astriferi cœli fugiens; nam tecta superba,
Solis, & incensos currus, & templa Tonantis,
Regna beata poli sublimibus alta columnis
Deseruit, sprevitq; suum rerumq; Parentem,
Pectore sub firmo, sedem sibi PRINCIPIS huius
Consignans, rutilo virtus quoq; vertice gemmas
Explicuit, radios placito septemplice vultûs,
Et tendens roseasq; genas irasq, minaces,
Prætulit in facie niveâ, dextrâq; tremendum
Mucronem, quô iusta suæ prætenderet iræ:
Blanda illi vultu gravitas, & triste serena
Fronte supercilium, sed pectus tristius ore.
Aonides summo fractas cernendo dolore,
In speciem plausûs gratum cordisq; levamen,
Talia sincero nimiùm de pectore prompsit:
Est mihi vindiciis fortis manus, est pius atq;
Fervor ab injuriis ævi qui vindicet altum
Nomen PRÆSULEUM, quô stabunt tempore longo,
CASSANATE Bonorum præcellentia signa:
Garrula testis erunt, prædulci Rostra tumultu,
Et Solium sanctum, quod legibus imbuit Ille
Justis, exemplumq; dedit, quàm digna triumphis,
Mille sit in rectum mens tendens, justaq; poscens;
Jlle sacram Sedem moderatis Juribus Jlle

Imbuit

Imbuit, & populos altâ donare quiete
Scivit, & immensos litis componere fluctus.
Longiùs hæc Astræa volens extollere voce,
Eminuit clamor confuso de agmine turbæ
Virtutum. Nam quæq; suum jactare cupivit
Factum, laudis opus magnæ pretiumq; perenne.
Ergo Diva suas exorsa animare Sorores,
Pallas tantorum pondus mirata subinde
Gestorum, Pectus felix en PRINCIPIS almi,
Insedisse; novos affectus ipsa dolentûm,
Jam cohibere jubet gemitus lacrymasq; fideles.
Vivit sub tanto virtutum munere PRINCEPS
Fatur, & elatis manibus dat lilia plenis.
Hæc in vota sacris precibus lacrymando soluta:
O Superi! flevisse datum sat, pectore grato,
Musarum; æternâ potiaur HIERONYMUS Æde,
Gratia quem niveus candor pietate beata
Exornavit, HONOS TRABEATUS, secula complens,
Immemores fastos nobis extendet in ævum.
Hæc monumenta pijs affectibus Musa recondens,
Vestris ô nivei Candoris Lumina PATRES,
Cordibus inseruit planctus, Famaq; Vocali,
Immensos Orbis tractus implente fragore,
Pectora summa Patrum graviùs devota penetrans,
Turbida ploratûs tepidi lustrando fluenta,
Et cum nube dies orientes ORDINE Sacro,
Mutatasq; preces suetas, in tristia vota;
Ordinis integri vernantia Lilia pullum
Mirandâ specie pronunc induta colorem;
Vestalesq; sacras, vigiles in tædia curas
Et gemitus vertisse videt, PATREMq; dolere:
Gratiùs haud quidquam Cœlis, terrisq; fuisse,
CASSANATÊ PIÔ cognoscens hac vice secum;
Protinus extimuit, subitòq; rubore notata,
Sævo mœrori dederint quòd semina Musæ,
Indoluit; Montiq; sacro præstare levamen

Alloqui-

Alloquijs ſpondens, converti in pegmata corda
DOMINICANA videns; poſito jam fine dolori,
In juga Laurigeri ſe tollens Montis ab alto
Virgineâ dextrâ deductum linquere carmen
Hoc dignata Dea eſt. Adſunt mihi certa perennis,
Nunc monumenta rei, ſunt temporis atq; fugaces
In ſeclum converſæ horæ, quêis gloria Magni
PRINCIPIS augeri non deſinet atq; vigere;
Purpureum Patrem venerando Roma ſtupeſcet,
Et ſudus nitidâ Latialis Jupiter aulâ.
Nam quâ naſcentis ſurgit Tithonia Phœbi,
Quâq; cadentis amat cunabula Veſperus vda
Æſtibus in medijs librati pondera Cœli
Quâ cādent, æterna dabunt præconia DIVO;
Nec ſinet Arctois Nomen decedere terris.
Ibit in immenſum TRABEATA Decore perenni
PURPURA, quam Roſeus PRINCEPS ornavit abundè
Præcelſis Meritis; Partitis Divite venâ
Muneribus; nimiùm doctis in ſæcula Libris,
Immortale ſibi Nomen pretiumq; paravit.
Cuncta ſuper vincet Doctorum Tempora, Lauros,
Laudes exſuperans omnes, Faſtiq; notabunt,
FAMA quod extendet Celsâ de TURRE VOCALIS.

PERMISSV

Magnifici, Perilluſtris, & Reverendiſsimi Domini,

D. M. MATHIÆ PSOIECKI,

S. Th: & V. J. Doctoris & Profeſſoris, Collegæ Majoris,
Protonotarij Apoſtolici, Eccleſiarum, Cathedralis
Cracovienſis CANONICI, Collegiatarum, Sanctorum Omnium
PRÆPOSITI, S. FLORIANI ad Crac: & Opatovienſis DECANI,
SCHOLASTICI Curzelovienſis, CANCELLARII Poſnanienſis, CVRATI
in Osiek, Contubernij Iagelloniani PROVISORIS,
S. R. M. SECRETARII,
Studij Almæ Vniverſitatis Cracovienſis,
GENERALIS, ac VIGILANTISSIMI
RECTORIS.